4 ff — 24 ff n. ch.
front.
24 mall.

SERENISSIMORVM,

PIENTISSIMORVMQVE

PRINCIPVM AVSTRIACORVM SYMBOLA, ET ELOGIA.

PER

RHETORES AVGVSTINIANOS.

BRVXELLIS M. DC. XLVII.

TYPIS IOANNIS MOMMARTII.


Religioni Viuere et mori Austriacũ.
Serenissimæ,
Augustissimæque
Domus Austriacæ
Virtutibus et gloriæ
Illarumque Heredi
Ser^mo Principi
LEOPOLDO-GVI
lielmo. Archi
duci Austriæ

SERENISSIMO ARCHIDVCI

LEOPOLDO-GVILIELMO,

BELGII, ET BVRGVNDIÆ

SVPREMO GVBERNATORI, &c.

HEroum Auſtriacorum res geſtas, ut qui in nuce Iliadem, ſtrictim Serenitati Tuæ (quod licere nobis non vanè tunc augurati ſumus, quando Serenitatem Tuam hoc conatu venerabundi excepimus) denuò conſecramus. Felices nos, ſi placere potuimus! Virtutes hîc Avitas, immò proprias, nimirum ornamentis Tuis unus occupas propemodum omnes, quas in verſicolore nuper ſerico, (utinam dilucidiùs, elegantiuſque!) auro pinximus, quo ſplendorem Auſtriæ, verè aureæ, aliquem vel ſic proderemus, æquis oculis contemplare. A radice univerſas producere, colligereque animus erat: ſed plures quaſi poſt ſiparia reliquimus, quas, quia compendifacere impares fuimus, in ſimulacris Avorum iconicis deſignavimus. Et timendum vehementer nobis erat, ne, ſi ſtylum explicaremus, aut in tanto virtutum campo (quarum obſcuram graphidem umbratili tantùm calamo attigimus) veluti labyrintho, exitum deſperaremus, aut à ſevero Ariſtarcho, & Seren[tis] Tuæ prudenti ſupercilio, pinguioris etiamnum Minervæ pulli, temeritatis notaremur. Non poterat denique (fatemur ſine palpo) laudum Avitarum meta inveniri, quarum magnam jam partem impleviſti. Creſcunt cum ramo ſuo, & augentur in hereditatis eximium decus, Pietas Patrum, proprium Auſtriacæ Gentis bonum, & virtutes invidiam æmulis facturæ, ceteræque dotes, quibus Auguſtiſſima illa Domus, numquam interitura, facundæ ſe poſteritati, æternitatique

 com-

commendavit. Quæ aliena Tibi videantur, quamquam patria sint, (& quæ non Ipse, ceu scintillas ignis, & odores suos Hybla, è pectoris Tui fertilissimo, refertissimoque Virtutum omnium sinu emittis, spargisque?) nisi Tuis titulis eadem, ad quæ ponè sequentem Majores Nepotem invitant, omnia mereri, nobilitare etiam posses. Suis se factis, & cœlo metiatur, qui illustris esse volet. Siquidem pietate Tuâ, & Religione verè Præsulem agis; Castitate ipsam propè Vestalem superas; Prudentiâ, & totius vitæ ordine, cum siderum certissimo cursu, ac compositione contendis. Præclarè omnia! & quæ Belgicam adhuc ægram erigere, dilapsam colligere, exanimatam recreare cœperunt.

—— Exultat Eques, plauditque Senator,
Votaque sublatis solvit plebs læta lacertis.
O felix servata vocat quem Belgica Patrem!
O populi communis amor, cui militat omnis
Flandria, quem sequitur pulcrâ Germania lauro!
Cujus & adventum crebris petière Brabanti
Vocibus, & meruit, cœlo præstante, Gradivus.
Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis optantur flamina nautis,
Ut Tuus aspectus populo.

Et venisti in medium per medium discrimen; quando nostra ista Patria, velut undosum mare, non uno impetu, ac pæne ineluctabili ariete adversus, & aversus exagitatur. Nos interim nihil hîc in laudem Tuam

(—— Strepitus contemnis inanes,
Inque animis hominum pompâ meliore triumphas.
Ipsa etenim virtus pretium est sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet; nec fascibus ullis
Erigitur, plausûve petit clarescere vulgi:

Nil

Nîl opis externæ cupiens, nîl indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis.)

Suâ mole, aut ſtylo magnum, quibus exilia hæc fiant, ſed dignitate Magnorum, Tuoq́ue nomine & numine maximum nuncupamus Tuæ Celſitudini donarium.

Permitte igitur, ô Patriæ Pater, ut hæc paucula, quæ ad Apollinis citharam pangere affectuosè, ſtudioſeq́ue conati ſumus (utinam Avis, & Serenitate Tuâ digna!) inter has bene-ominatas bellorum curas, quæ mentem Tuam, atque induſtriam adeò non obſcurant, quin, veluti picturam umbræ, commendent magis, atque illuſtrent, in conſpectum Tuum venire, quem, ut territi, quod pridem cœperunt, hoſtes fugiant, ex animo precamur

Serenitati Tuæ

Devotiſsima Rhetorica Auguſtiniana Bruxellenſis.

AD

AD LECTOREM.

Virtutes Austriacas, Lector, ut Ser^mo^ *Archiduci nuper exhibuimus, nunc vides* —— in apertum currere solem. *Orsi sumus à Religione, sive Pietate, cui, veluti fulcro & basi, Augustißima illa Domus innixa, omnigenarum Virtutum aspergine quaquaversus diffunditur. Ad compendium eas contulimus. An omnium omnes? Negabit meritò aliquis: & fatemur esse partem multò maximam, quæ addi debeat: at non pro nostrâ tenuitate, quæ tanto oneri succumbat; & profectò viribus nostris æqua non erat, magnis etiam ingeniis longè superior materia. Propositum denique nobis fuit, heroïca Austriacorum facta, cursim dumtaxat ostendere in primo vultu, & distinguere. Omnia si penetrassemus, quæ, ex hoc profundo emergendi, spes fuisset? Et si plures in hoc manus adlaborârunt, non tamen hìc illud Homericum obtinet:*

Melius multorum opus.

Plures equidem conati sumus, unus rem omnem comprehendere nemo potuit. Alia nobis culpa est; angustißimis numeris, neque qui numerum omnem habeant, Augustißimam stirpem, innumeraq; ejus encomia adstrinxisse. Caussam diximus, absolve.



LEOPOLDO-GVILIELMO ARCHIDUCI.

FULGET, ut exoritur radiis sol omnibus omnis;
Nec mendicatâ toti spectabilis orbi
Luce, peregrinis sese discriminat oris.
Ut Belgis oritur, pariter Virtute refulget,
Ille fatigatæ columen, tutelaque terræ,
Ille, ille optatos toties dilatus in annos
Magni Heros animi LEOPOLDUS. Jupiter antè
Penè ignoratus populo, spretusque *Timetur*.
Justitia, & Rectum cœlo rediêre, Piumque,
Cum radiis GUILIELME Tuis. Mars orbus & excors,
Lætatur venisse virum, quo vindice possit
Tandem insperatâ decorari tempora lauro.
Belgica, quæ toties proprio es fœdata cruore
Cæsariem, gratare dies Tibi sæpe petitos,
Quos novus insolito perfundit lumine Phœbus.
Ut Superis elapsus adest: neque sistere cursum
Suêcus, & infandis potuerunt ausibus *Hassi*.
Sollicitos depone metus; en alter Achilles
Prodiit, hostiles suetus terrere phalangas,
Et conjuratas animosus frangere vires.
Hic bellis vacui præcludet limina Jani;
Constringetque acri capita ambitiosa lupato.
Succrescet calcata Ceres, atque oppida surgent
In primum reditura decus. Non eximet ira,
Non furor invisus miseris rursum otia tollet.
Ergo agedum Austriacæ non infima gloria gentis,
Quem sic urget amor, plorandaque matribus arma
Bellatricem animam instigant, Mavorte secundo
Coge in bella viros, & libertate reductâ,
Vive diu seros antiqui Nestoris annos.
Tantùm vota damus: neque enim præconia parvo
Claudat charta sinu, quæ longum haud explicet ævum.

Matthæus Mertens.



RVDOLPHO I. AVG.

HIc ille magni conditor Imperî,
Ingens potentûm gloria Principum,
Cui refulſit Crux ſacratis
Impoſitura decus capillis.

Hoc præferebant tela loquacia, &
Divinus imber, qui vigiles lupos
Cœcas vocaret ſub cavernas,
Fulmineoſque fugaret apros.

Verè Imperator, quem dedit & Pium,
Sanctumque terris! qui, quod ebur premit,
Hoſtique detracta obſtinato
Scuta refert Domino ferenti.

Philippus-Theodorus de Fourneau.





ALBERTO I. AUG.

O Praſtans heros animi! quantum ipſe Rudolphum,
Inſignem pietate patrem, belloque, togâque,
Et virtute refers! Tu fortis & arduus haſtâ,
Excipis objecto crepitantia ſpicula Chriſto *
Gunzenſes ſensêre manus: ſceptrumque cruore
Turpe rubens poſuit, fruſtra cunctatus, Adolphus.
Vt tenera inſtantem trepidè fugit agna leonem;
Sic Wenceſlaüs non expugnabile telum
Permetuens, cæco ſeſe mox abdidit antro.
Ipſe etiam Andreas, quo non generoſior alter,
Pluſquam gorgoneos, ſtupuit Tua lumina, vultus;
Conſpectuſque unus tota agmina conſternavit.

Ioannes van Antwerpen.

* *Quem Patri in ſcuto prætulit.*

FREDERICO III. AUGUSTO.

COnſtantem non ſcylla virum, Maleæq́ue ſequacis
Vnda; nec arma movent, Centimanúſve Gyges

Non metuit Diomedis equos, lectoſq́ue Procuſtis,
Non rapit abſterſo ſubdola lympha pede.

Vndique ſuffoſſis, bellum intret, mœnibus, urbem,
Hoſte ſub infracto tota Vienna gemat:

Vim cunctam, atque minas ludis. Terrentia cœlum,
Et metuenda ſolo ſpicula, nulla times.

Bruno Gyſels.

AMOR CONCORDIÆ.

ESTE PARES.

FREDERICO IV.

AUGUSTO.

QVantus habet reliquos quærendi nomen in armis,
Tantus Te placidi fœderis ardor habet.

Hungarus hoc quondam didicit, didicitque Bohemus,
Quique in bella ſuos Teuto vocârat Avos.

Goriciæ, quid pace queas, Comes audiit; ortus
Civicus, ut miſtâ cæde tumultus erat.

Muta, Tuo, ſiluit diſcordia garrula, juſſu;
Vnda ut cærulei pulſa tridente Dei.

Daniel de Bailleul.

MAXIMILIANO II. AUG.

VIvet extento, memorique sæclo,
Notus in triſtes, pietatis, Iros,
Maximus terris, ſuperoque cælo,
Maximiliânus.

Latiùs regnes gravidam explicando
Dexteram: quàm ſi rigida obligatam
Hinc & hinc arcam, nimis obſtinatè
Æra flagellant.

Regium eſt, fulvos oculo irretorto
Abditæ lamnæ cumulos tueri:
Nec fatigatos prece non potenti
Pandere poſtes.

Hieronymus de Gyger.

CAROLO V. AUG.

ANAGRAMMA.

NOTVS, QVI CLARVS.

SIc est. Loquaci vendere haud debet foro
Consilia Princeps, quæ sibi statuit domi.
Severitas, vultusque qui Cereris sacrum
Vulgare nescit, regna tutatur sua.
Et magna cùm sperantur, attonitos habent.
Nempe æquitati calculum raró bene
Festina ponunt: providum excudunt opus
Secreta, tardâ quæ capit Iudex morâ.
Hoc est silentî Carole præmium Tui;
Quod CLARVS Orbi es, antè QVI NOTVS Tibi.

Hieronymus Niphus.



MAXÆMILIANO II.
AUGUSTO.

ÆTerno dignus Maxæmilianus honore,
Crœsi, Irique, piâ dividit aure preces.

Fractis ille toris; sublatis nuntia mensis
Excipit, & faciles ad bona verba manus.

Regem equidem illustri dat Majestate videri
Gloria, quæ radiis fulget ubique suis.

Hoc Tecum commune Diis, quòd vestra roganti
Postibus avulsis, limina clausa patent.

David-Franciscus Lintermans.

IUSTITIA.

Rectè imperat æquum.

FERDINANDO I.
AUGUSTO.

SI Gyaros est missa Themis, terrisque recessit,
Multus adulter erit, phœdraque multa domi.

Nec firmo stant regna loco; si judicat empta
Lingua reos. Auro non manet æqua fides.

Quantum est, quod sanctum imples Ferdinande Tribunal!
Non sua Aristides tam benè jura ferat.

Ille etenim Iudex benè verum examinat omne,
Qui nescit donis vendere jura datis.

Ioannes-Baptista Cole.

RUDOLPHO II. AUG.

QVo vicina tuo cudis Turba impia fato
Spicula, ad infeſtum non abitura Iovem?

Falleris, (adverſo quis enim ſuperavit Olympo?)
Decidet in proprium miſſa ſagitta caput.

Nequicquam inſtantem Rudolphus provocet hoſtem;
Si gerit irato bella proterva Deo:

Sed Divos præbente ſuos, miſer omnia Turca
Currum egit, vinctus poſt ſua terga manus.

Atque alios numquam fecit victoria plauſus,
Quàm pia ſollicitus ſurgat ad arma polus.

Petrus Gilleman.

MATTHIÆ I. AUG.

FRangis ſuperbæ cornua Cynthiæ,
Agiſque præ Te ſigna fugacium,
Latè triumphator, Schytarum,
Exiguis metuendus alis.

Gens, quæ furenti naufraga Caſpio,
Stravit rebelli Cappadoces manu,
Porrexit herbam, & Marte fracta
Te poſitis celebravit armis.

Sic tu ſecundis uſque laboribus
Potens inîſti prælia, & impio
Vaſtata Turcarum tumultu
Fana ſuos habuêre cultus.

Franciſcus-Coſmas van Meghem.

FERDINANDO II. AUGUSTO.

VIx ubi ſublimi ſic eſt Deus ore locutus
De ligno victore Crucis: Macte, ocyùs hoſtem
Invade, egregiam referes à milite laudem.
Intùs amor pulſat fibras, exæſtuat omni
Parte calor, totumq́ue pio cor carpitur igni.
Iamq́ue ipſe in ferrum pro Relligione ruebas;
Et ſine clade, rubram ſternebas, victor, arenam.
Fracta Palatini jacuerunt ſigna : Tibiq́ue
Circum jactato, cecinerunt, flore, Triumphe!

Iacobus de Hertoghe.



FERDINANDO III. AUG.

Longùm feroces credideris malè,
Regnare vultus. Longiùs imperat,
Qui mitis, irarumque victor,
Sanguineos cohibet furores.

Hoc gloriosum tollit humo Ducem;
Astrisque jungit, qui patriæ pater
Audivit olim, qui peregit,
Quod violenta nequit potestas.

Testis mearum degener Hassia
Sententiarum: non semel incito,
Experta, gressu, territantem,
Ceu pavidæ trepidare damæ.

Vt in relictâ progenie stupet
Se Ferdinandus, seque suo in Patre
Nunc Ferdinandus conspicatur,
Imperii, & pietatis heres!

Martinus-Iacobus Malinæus.





PHILIPPO I.

ELoquio, verbiſque Tuis reſpirat Apollo,
Et nova Romanæ ſurgit facundia linguæ.
Arma per Auſtriacos pluſquam Mavortia campos,
Suſpenſis hæſêre viris. Tantum oris in uno
Ore fuit! ſeptem formaverat unica linguas.
Pulchra etiam Suadæ conjuncta in pectore virtus,
Certamen motura ſibi. Migraverat in Te
Muſa Patris, ſociàque probi cum Pallade mores.
Quin æternus eris, nomenque in ſæcla vigebit,
Et capitis venerandus apex? Tibi noſtra ſecures
Muſa refert devota ſuas, magnoſque triumphos
Ipſa ſibi ſpondet, tanto generoſa Patrono.

Nicolaus Merſtraten.



PHILIPPO II.

GAngeticos junctis retudit feliciter armis,
Aſſuetus Trino thus adolere Deo.
Impia vaſtatis defecerat Anglia fanis:
Corruerat ſpreto Gallia tota polo.
Vidimus arctatis ſub Te rugare catenis
Hæreſim, & ad vultum vertere terga Tuum.
Belgica ſume animos: nam defenſoribus iſtis,
Non gemet infeſto ſub Iove læſa fides.

Antonius-Ferd. van Hamme.



PHILIPPO III.

Horruit Auſtriadas & Perſis, & Heſperus orbis
Te Duce, Romanuſque Tuo ſtetit acer in armis
Auxilio miles. Tu faſces, ſcutaque, & enſem,
Tu ſacrum capitis decus, & regalia dextræ
Pondera, opeſque, operamque, & magni ſtemmata regni;
Spiculaque, & clypeos, & centum ex hoſte trophæa
Chriſtiadum ſacræ ſuſpendis cernuus Ædi.
Celſa poteſtatis ſpecies, famuloque labore
Creſcit honos, ſeriſque inſcribit nomina faſtis..

Abraham vander Steenen.

PHILIPPO IV.

REx fortis animi, maſculique pectoris,
Durum paratus impetum ſortis ſubit,
Quum poſcit urgens Imperî magni ſalus,
Fideique cauſa. Quantum id eſt, ſceptrum dare
Cœlo roganti, ſpiritumque effundere
Populo, Deoque! injurias ſic decoquit
Quovis tumultu, dum ſuus ſemper manet
Philippus, heres dum manet ſemper ſui.
(Sic quando jura dat ſibi, mundo poteſt.)
Quò major audit, quóque mage tendit manus,
(Et dextera ortum, lævaque occaſum tenet.)
Hòc ſe minorem crederet, ſi non ſacræ
Diadema fidei credat, & vendat polo.

Ioannes-Philippus Loets.

ERNESTO BELG. GUB.

QVin vive, & longos regna feliciter annos,
Aut da progeniem, quæ Patris inſtar erit.
Ille, velut crimen, ſocialia vincla peroſus,
Ne ſummo furem ſuſcitat ungue focum.
Dulcacidam horreſcit Cypridem cane pejus, & angue,
Mentitoſque jocos, ſtulte puelle, tuos.
Nam juvat: & caſtæ miles vult eſſe Dianæ,
Antè vel in gelidâ ponere corpus humo.
Quæ Veſtæ pœna eſt, verſo, eſt Tibi, ſchemate merces.
Tanti operis puero terga dediſſe Deo!

Arnoldus van Obberghen.



ALBERTO PIO,
BELG. GUBERN.

Ergo etiamnum aliquis jubeat ſecedere ab aulâ,
Ne malè diſpereat, qui volet eſſe pius?
Hâc, ubi thuricremas Albertus conſtruit aras,
Ille ubi ſub parvo veſcitur orbe Deo?
Qui volet eſſe pius, talem ſuccedat in aulam,
Quâ turpis domito friget amore Venus.
Non ibi deliciæ poſuêre theatra, jocique;
Nec penetret jaculis ipſe Cupido ſuis.

Ioannes-Henricus le Roy.

FERDINANDO HISP. INF.

BELG. GVBERNATORI.

ERgo erat hoc belli caput eripuisse periclis,
  Vt mors Te raperet invidiosa domi?
Scilicet ut solito fieret securior hostis,
  Debueras patriæ fata suprema Tuæ.
Quæ rerum facies, dum Te Norlinga tenebat,
  Non semel ambiguis speque, metuque viris?
Sive etiam in Batavum victricia tela parares,
  Et premeres forti Gallica castra manu;
Dum latè ardebant Thenensibus omnia flammis,
  Gallus cum Batavo caussa timoris erant.
Sive Caloa Tuo quateretur milite cincta,
  Belgica Te precibus ponè secuta fuit.
Quæ licet hostili toties in nomine pallens,
  Auspiciis toties est recreata Tuis.
Sic etenim egregii mensuram Principis implens,
  Impiger afflictæ vimque, animosque dabas.
Testis erit Batavus, nec Gallia tota negabit,
  Et loca sub leges jussa venire Tuas.
Sed fera mors fuerit virtutibus invida tantis,
  Vîxti materies laudibus æqua tuis;
Et quamquam in medio stetit hæc victoria cursu,
  Nec tenuit finem sors malefida suum:
Attamen emeritam, cœlo applaudente, coronam
  Component capiti sæcla futura Tuo.
Adde quòd exemplum de Te Patientia sumpsit,
  Et didicit forti pectore ferre necem.

Guilielmus Astennet.



S. LEOPOLDO.

AVreâ felix mediocritate,
Accubat caſtæ, tenuique menſæ,
Et lupo raptos prohibet verûclo
Figier hœdos.

Odit & ferclum, dubiaſque cœnas,
Et toros Regum, madidamque pallam,
Quique ſplendeſcit rutilo calenus
Bacchus in auro.

Menſa ſat dives fuerat modeſta,
Quæ feram poſſet Venerem domare,
Et reluctantes Dominæ furores
Subdere menti.

Ludovicus de Smet.



LEOPOLDO III.

QVem Te cõmemorem, decus immortale proborum,
Quâ Te voce canã, Superûm quem turba ſtupeſcunt,
Et civem fecêre ſuum ? Te gloria Martis
Oſtentare virum voluit, quando Auſtria SACRO
(Dignos Marte auſus !) ſociaſti mœnia Clivo.
Elatâ quoties dextrâ circumſtetit atrox
Tempeſtas, ipſumque thronum everſura pependit,
Vibrato toties ſiſtis feliciter enſe,
Nec de ſucceſſu tumidus, nec fortibus impar :
At Iovis imperio rerum momenta gubernas.
Cæpta priùs ſeptem producis fœdera in annos.
Sic probitas, & ſtemma viro ſplendeſcit in uno.

Ioannes-Bapt. Franciſcus van Male.

LEOPOLDO VIII.

OBjectis ſpolio damis, paphiâque columbâ
Plus timet, & viſo ſanguine pallet anus.
Maſculeum, intrepidè gladium irritare morantem,
Et venale caput bella in aperta dare.
Prodigus ille animi pro Relligione, fideque;
Sanguine quo pingit pectora, ſcuta facit.
Hinc rubet Auſtriacis diſtinctum inſigne cruore,
Candida quod mediâ linea parte ſecat.
Inde aliàs centum ſperet Domus Auſtria lauros,
Sanguine magnanimis, fauſta nitore ſuo.

Ioannes Huenaerts.